



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 1. Archiepiscopus Salisburgensi Ecclesiæ præficitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Constantinopolis a Turcis expugnata.
Strecklin sc. A.V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CIX.

EUGENIUS IV. PAPA.
 FRIDERICUS III. OCCIDENT. JOANN.
 PALÆOLOGUS ORIENT.
 IMPERATORES.

§. I.

*Archiepiscopus Salisburgensi Ecclesie
 præfectus.*

Sub prima hujus anni auspicia in pluri-
 bus diversarum Regionum Ecclesiis
 beneficia conferebantur, ac inter ce-
 tera Salisburgi vacabat Sedes Archiepis-
copi.

Sæcul. XV.
 A.C. 1442.

*Acta Patric.
 to. 13 Conc.
 pag. 1597.*

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. A

Secul. XV.
A.C. 1442.

copalis, ad quam Fridericus, qui illius Decanus erat, per Capituli suffragia nominabatur, cujus nomine ad Basileenses Legatus decernebatur, qui electionis confirmationem postularet. Istitis vero petentibus, ut Felix in secreto Patrum Senatu electum confirmaret, & in ejusdem manibus obedientiæ sacramentum confirmatus exsolveret, Legatus huic propositioni sese subjicere renuit, affirmavitque, se ad solam Synodum fuisse missum, de cetero nullum sibi cum Felice esse negotium. Diu itaque, acriterque hac super re disceptatum, donec tandem Synodus suo nomine, quæ Legatus petierat, concederet, quo facto Mense Januario ad medium vergente mox Friderico pallium per Cardinalem S. Sixti, & Stephanum de Novaria Advocatum nomine Pontificis traditum est. Ita demum hæc lis composita fuit.

§. II.

Basileensium jurgia ob Herbipolensem Præposituram.

Eodem ferme tempore novis inter se dissidiis Basileenses scindebantur. Hi enim Joanni de Bachenstein Herbipoli, quæ est Episcopalis civitas in Franconia ad Moenum sita, hujus Ecclesiæ Præposituram conferebant, quamvis Philippus Trevi-